

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

mia, Stoâ atque Lyceô, non Pſitacos, sed Doctores audirem Theologos; qui cum Theophrasteo illo Vultanulo comparati, meo iudicio, quod verum esse scio, erunt

Hoc, quod lentæ solent inter viburna cupressi.

Ille autem, licet purpureum latè, qui splendeat, unum & alterum suis epistolis pannum assuit: tamen horridior rusco est, projecta vilior alga. Epistolam ejus, obliæus credo, non miseris. Feceris mihi rem pergratam, si accepero; ut qui Ciceroniani sint, intelligam, cum alii, qui auditoribus industriam suam probant, barbari vocentur. Sed *ἀλλ'εἰ* jam *δρῶς*, aut nimium etiam. Resalutat te D. Planerus & amici cæteri. Vale Argentorato, die Annunciationis Mariæ, anno 1572. Festinationi ignosce, ut semper.

Tuus

Johannes Pappus.



XCVI.

S Quod hætenus curatio, à Chirurgo erga te usurpata, non infeliciter cesserit, laudo Dominum cum meis symmisticis ex animo, qui tibi longævitatæ & incolumitatæ vehementer optamus. Faxit ergo idem, ut hæc resina ex Gilead proficiat ad confirmatam salubritatæ, benedictione ipsius, quò Ecclesia tuis laboribus & *ἰεροσολῶν* diutissime frui possit, si unquam aliàs, hoc maxime tempore necessaria. Quod Illyricus sui similis esse pergit, non miramur magnopere. Nam qui semel in profundum venit præsumptionis, contemnit omnia, nec attendit, quàm graviter à Sathana tenteretur. Vir alioquin insignis, Deique Cælo flagrans, quò egregia dona, quibus poller, non infrugifera modo, sed & noxia etiam evadant ob scandala saltem, quæ ipsius pervicacia studiisque minus sinceris excitantur. Monemur certè hoc documento, quam debeamus omnes juxta Apostoli monitionem nobis ipsis attendere, vigilare & orare, ne intremus in tentationem. Neque videmus, nunc vobis aliud consilium restare, quàm auctoritatæ cum vestram pertinaciter spernat, collationes fraternas recuset, ipsius potius commercio abstinere, quàm ut invito illud ipsum obtrudatis. Paulinum sequentes consilium. Quod si molestus vestro ministerio Ecclesiæ esse pergat, quid facto sit opus, suggeret magni consilii angelus, quia verè magus & magna virtus ejus & sapientiæ ejus non est numerus. Nec dubito, quin miser ille graviorem sibi confusionem sit accessurus, nisi ad sobrietatæ redeat. Scriptum vestrum & collegæ mei probant, ut quod testatam faciat perpetuam fidem & vigilantiam pro obtinenda legitima aliqua disciplina in Ecclesia DEI, ne pietas &

Ggg

reli-

religio ab externa tantum professione, citra cordis fidelem penitentiam aestimeretur, obtinente interim vitiorum omnium dominatu, quò justa furoris DEI virga accersitur, cujus extant per extentam ejus manum tot tamque gravia expressaque inditia. Equidem quod ægrotos attinet, facillè conjiciebam, operam vestram fidelem & expromptam nequaquam negaturos petentibus. Sed quia denunciatio, qua significatur, vos præfractos sive sectarios, sive prophanos Domino permitturos ad eos non nihil terrendos, exceptio videbatur plenior adjicienda, quò expeditior vestro sancto ministerio ad eos aditus fiat. Filiorum tuorum literas ad me non pervenisse doleo. Neque enim credidero, tam parum officiosos esse voluisse erga me, quem sciunt, pro summo, quo ipsos amore prosequor, gratum jucundumque præstari officium, si sæpissime scribant, maxime post uxoris meæ mortem, ex qua luctum non vulgarem mihi tractum satis conjiciunt. De Theologis Saxonis quod scribit D. Jacobus Andrea, perlibenter legi, eò quod spes inde affulgeat benigna, in sedem relictui posse, quæ non nihil collapsa apud Wittebergenfes fuerant. Atque ita parosimus, qui priorè anno tot scriptis publicis erupit, salubris etiam fuerit, utcumque molestus & ingratus piis omnibus, qui scandala horrent. Sed hoc ipsum DEI opus fuerit & artificium, quo mala etiam nostra novit ad suorum salutem & sui nomina gloriam convertere. De his si quid porro intellexeris, rogo significa, & bene vale in Christo Jesu, cum uxore totaque familia & collegis. Scripsi Basilea, die 27. Martii, An. 72.

R. d. T. totus

Sulcerus, D.



XCVII.

Salutem in Christo.

Occasionem denno ad te scribendi oblatam negligere nolui. Ut intelligeres nos pro te vestraque Schola & Ecclesia sollicitos esse. Cæterum quo magis considero negotium ipsum, privatis actionibus nihil efficietur, nisi magistratus suam autoritatem interpoluerit, adjutus opera, non politicorum, sed Theologorum, qui prius huic causæ non inhonestè consuluerunt. De me nihil dico, sed de D. Sulzero & D. Coccio, quos viciniore aliquando habetis, quamvis si quid ego etiam conferre possim, laborem & molestiam non recusarem. Tu pro tua pietate, prudentia & sapientia omnia rectissimè curabis. Bene & feliciter vale. Præsentium laborem, Tucherum, qui sacris literis apud nos aliquot annis operam dedit, D. T.